

persona, quæ super hoc testimonium perhibeant veritati, corporali præstito juramento quot credunt ea, quæ sic exprimunt, esse vera, et se posse probare. Alioquin tam opposentes, quam adhaerentes eisdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujusmodi litteris, vel instrumentis expressa, potestatem sibi noverint interdictam: nisi aliquid postea primum emerit, vel super antiquis supervenerit probandi facultas, » etc. Hæc ibi. Insuper nonnulla alia, circa processum appellationis ab electione observanda, statuuntur in cap. i. h. t. in 6. quæ ac etiam in c. *Cupientes*, 16. eod. in 6. cum sint longiora, simulque in fonte locis præallegatis legi possint, haud immerito hic præmittuntur.

326. *Pænæ appellantium ad Sedem Apostolicam, et in probatione deficientium, si quid opposuerunt contra formam electionis.* — Quæritur VI. Quæ sint pænæ statutæ contra eos, qui, appellantes ab electione, deficiunt in probatione eorum, quæ objecerant? Resp. hic esse distinguendum juxta d. cap. i. § *Adicientes*, h. t. in 6. quod innovatur in cit. c. *Ut circa* § fin. eod. in 6. circa pænâs, quæ ibidem imponuntur illis, qui factam electionem, postulationem, vel provisionem circa dignitates, personatus, vel canonicatus factam (de quibus solis textus loquitur, non vero de inferioribus beneficiis) calumnie impugnant, ab eaque ad Sedem apostolicam appellando objiciunt quidpiam contra formam, vel personam, et postmodum in probatione deficiunt. Et si quidem talis appellans plene non probaverit, quod contra formam opposuit, objiciendo v. g. quod electio fuerit facta contra formam in Decretali *Quia propter*, 42. h. t. præscriptam: tunc is condemnatur in expensis, quas propter hoc altera pars fecisse docuerit.

327. *Vel contra personam electi.* — Si vero, quod gravius est, appellans quidpiam objecerit in personam, ut puta crimen, irregularitatem, vel alium defectum (nam textus generaliter loquitur) atque in ejus probatione defecerit, tunc is adhuc durius punitur: nam ipso facto a beneficiis ecclesiasticis, quæ in illa Ecclesia obtinet, triennio est suspensus: adeo quidem, ut si infra illud tempus propria temeritate sese ingesserit, eis ipso jure, et absque ulla spe misericordiæ consequendæ, perpetuo sit privatus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumnie vitio causa probabilis et sufficiens excusaret; prout in cit. cap. i. h. t. in 6. statuisse

legitur concilium generale Lugdunense, atque amplius declarat Glossa ibidem.

## § XIV.

## SPECIALIA DE ELECTIONIBUS REGULARIUM.

328. *Textus concilii Tridentini circa electiones superiorum regularium.* — Circa præsentem materiam est præmittendum novum decretum concilii Tridentini, sess. 25, cap. ix. *de Regularib.* statuens de electionibus superiorum regularium, in hæc verba: « In electione superiorum quorumcumque abbatum temporalium, et aliorum officialium, ac generalium, et abbatissarum, atque aliarum præpositorum, quo omnia recte, et sine ulla fraude fiant, imprimis sancta synodus districtè præcipit, omnes supra dictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec imposterum liceat provinciales, aut abbates, et priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. » Hæc ibi. Occasione cujus quærendum est

329. *An quoad has per Tridentinum sit abrogata Decretalis Quia propter, h. t. Rationes sententiæ affirmatiæ.* — Quæritur I. An per hoc decretum concilii Tridentini sit abrogata Decretalis, *Quia propter*, 42. h. t. quoad electiones regularium? Resp. Circa propositum dubium variant doctores. Et quidem Fagnanus in cit. c. *Quia propter*, h. t. n. 21. et seqq. asserit scrutinii formam in dicta Decretali præscriptam esse omnino incompatibilem cum forma concilii Tridentini; nam in illa (inquit) sunt assumendi tres scrutatores, qui vota eligentium ore proprio exquirant; simulque vota eligentium sunt in scriptis redigenda, et publicanda in communi. Atqui secundum formam concilii Tridentini, hæc non possunt observari; cum vota debeant esse secreta, et singulorum eligentium nomina nunquam sint publicanda, idque necesse sit observare sub nullitate actus electionis. Accedit quod juxta formam in d. c. *Quia propter*, præscriptam sit eligendus ille, in quem major et sanior pars capituli consensit: adeoque opus est non solum collatione numeri ad numerum, sed etiam zeli ad zelum: ut c. *In Genesi*, 53. et c. *Ecclesia vestra*, 57. h. t. Secus est in electione regularium, juxta Clem.

*Exivi* § *Demum quia, de Verb. signif.* Et huic sententiæ favet etiam Hyacinth. Donatus, tom. II *Rerum regularium*. tract. i, q. 5.

330. *Præfertur sententiæ negativa, asserens ambas illas formas esse compatibles.* — Alii contra, ut Suarez, tom. IV, *de Religione*, lib. II, cap. v, n. 9, et Ascanius Tamburinus, tom. I, *de Jure abbatum*, disp. 5, quæst. 6, n. 10, volunt, ambas has formas esse compatibles. Id ipsum tenet Emmanuel Rodericus, tom. II, *Quest. regul.* q. 52. art. 9; Garcias, part. V, *de Beneficiis*. cap. iv, n. 186, et seqq.; Barbosa, lib. I, *Juris Eccles. univ.* cap. xix, n. 221, et seqq. et Passerinus, cap. xvii, *de Electione*, n. 5, citans alios, et pro hac sententiæ allegans Rotam in Meten. monasterii coram Coccino, 5 junii 1621, in fin. Ratio est: quia, licet juxta concilium Trident. loc. cit. singulorum eligentium nomina nunquam sint publicanda, oppositum tamen hujus in cit. c. *Quia propter*. h. t. fieri non præcipitur. Etsi enim juxta illud sint publicanda vota in communi, non tamen nomina eligentium publicari præcipiuntur: sicut et ordinarie horum nomina non publicantur, sed solum vota, ut liquet ex formula electionis quam refert Zerola in *Praxi episcopali*, part. I, vers. *Electio*, ad finem. Unde ex hoc capite formæ illæ eligendi non sunt incompatibiles.

331. *Vota eligentium debent esse secreta; et quomodo?* — Sed nec urget, quod juxta concilium Tridentinum vota debeant esse secreta. Resp. enim, sive electores in scriptis dent vota sua, sive eadem coram tribus scrutatoribus viva voce proferant (qui sunt duo modi eligendi juxta formam Decretalis, *Quia propter*, ut dictum num. 124.) adhuc vota censentur dari secreta, eo quod dentur in secreto, ac seorsim ab aliis, qui sunt de collegio, prout cit. n. 124. notatur. Et quidem, si vota dentur in scriptis, sive in schedulis, id clarum est: cum sic nec ipsi scrutatores sciant, a quo hoc, vel illud votum, datum fuerit.

332. *Censentur esse secreta, quamvis coram scrutatoribus proferantur viva voce.* — Cæterum, quod electio adhuc censeatur fieri per vota secreta, licet singuli eligentes vota sua proferant viva voce coram tribus scrutatoribus, desumitur ex cit. c. *Quia propter*, ubi jubentur scrutatores vota cunctorum secreta, et singillatim inquirere, et tamen hæc coram ipsis viva voce proferri possunt; uti fatetur Fagnanus, loc. cit. n. 49, estque communis aliorum. Accedit expressa declaratio sacræ

Congregationis cardinalium concilii Trident. interpretum, qui censuerunt: « Si electi fuerint a superioribus aliqui, ut puta quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur secreta, et canonica. » Ita refert Garcias, cit. cap. iv, n. 289; Tamburinus, d. n. 10.

333. *Prout liquet in electionibus abbatissarum.* — Huc facit instantia de abbatissis, et aliis præpositis monialium. Nam harum electio pariter debet fieri per vota secreta, ut liquet ex allegato decreto concilii Trident. et tamen possunt vota a monialibus eligentibus oretenus proferri, atque hæc ab episcopo, vel alio superiore ante cancellorum fenestrellam audiri; ut habet idem concilium Trid. cit. sess. 25, *de Regularib.*, cap. vii, atque sæpius eadem sacra Congregatio declaravit, prout refert Garcias, loc. cit., n. 190 et 191, solvens aliam declarationem, quæ videbatur prioribus obstare. Ex quibus omnibus clare patet electionem censi secretam, quamvis electores viva voce, et non per schedulas scriptas suffragia ferant; sicque ex hoc capite non dari incompatibilitatem inter formam eligendi juxta Decretalem *Quia propter*, et juxta allegatum decretum concilii Tridentini, dummodo nomina eligentium nunquam publicentur: quod sub nullitate actus hic præcipitur, ibi autem nec præcipitur, nec prohibetur.

334. *In electionibus, quando vota dantur per schedulas, an, et quomodo possit fieri collatio zeli ad zelum?* — Neque obstat ultimum, videlicet, quod ibi debeat fieri collatio zeli ad zelum; non item in electionibus regularium. Nam contra est: quia hoc ipsum urget in electionibus juxta c. *Quia propter*, h. t. per schedulas factis; cum etiam tunc scrutatores scire non possint, a quo hoc vel illud votum fuerit datum. Deinde, licet votis secreta per schedulas datis difficilius appareat, collationem aliquam zeli ad zelum fieri posse; nihilominus ea poterit fieri saltem generatim. Sic enim apparet electum ab altera parte esse aperte et notorie indignum, facile colligitur eum non esse electum a parte saniori, quamvis ea sit major. Idem est, si deprehendatur, quod ambitio electi, aut subornatio aliqua, vel corruptela munerum intervenerit: ut ait Wagnereck ad cit. *Quia propter*, vers. *Et quidem*. h. t.

335. *An in electione ministrorum provincialis Ordinis Minorum possit fieri aliqua collatio zeli, et meriti?* — Porro Clem. *Exivi*. § *Demum quia*, specialiter loquitur de Ordine

Fratrum Minorum, et electione suorum ministrorum provincialium, simulque, quod etiam ibi possit fieri aliqua collatio zeli et meriti, saltem generatim (non quidem a scrutatoribus, sed a superiore, ad quem spectat confirmatio) patet ex eo: quia ibidem in progressu expressis verbis tribuitur ministro generali Fratrum Minorum potestas, ut de consilio discretorum ex Ordine, ac præmissa diligenti examinatione, electionem ministrorum provincialium conrmet, vel etiam infirmet, prout ei secundum Deum visum fuerit expedire. Ad alia, quæ adduntur de collatione zeli ad zelum, patet responsio ex dictis n. 433, 434 et seqq. ubi plures dictæ regulæ limitationes dantur, ostendendo, quod in certis casibus ibidem enumeratis sufficiat sola collatio numeri, zeli et meriti.

336. *Utrum regulares in suis electionibus teneantur observare formam, c.* Quia propter h. t.? *Affirmatur de abbatibus perpetuis.* — Queritur II. An regulares in suis electionibus teneantur observare formam in Decretali, *Quia propter*, h. t. præscriptam? Resp. I. Abbates perpetui sunt eligendi secundum formam in Decretali, *Quia propter*, præscriptam. Ita Fagnanus in eod. cap. n. 6, et 49, cum communi. Ratio est: quia per horum obitum ecclesiæ remanent viduatae, et sine pastore ac sponso, arg. c. *Ne pro defectu*, 14, h. t. ubi Papa quoad hoc equiparat ecclesias cathedrales, et regulares, istorumque prælatos appellat pastores, ac per horum mortem dicit ecclesias viduatas. Concordat can. *Sicut vir*, 7, quæst. 1. Imo ad hanc doctrinam innuendam notanter concilium Tridentinum cit. sess. 25, cap. 6, de *Regularib.* utitur clausula illa, « *Abbatum temporalium*, » ut a sua nova constitutione excluderet abbates perpetuos, quos proinde dispositioni juris communis reliquit; estque jam supra § 5, 111, insinuatam.

337. *Ac de prælati Ecclesiarum regularium habentibus jurisdictionem ordinariam, et generalem.* — Resp. II. In Ecclesiis religionum approbatarum electionis prælatorum habentium jurisdictionem ordinariam, et generalem, debent fieri secundum formam in Decretali, *Quia propter*, præscriptam; quamvis regulares in electionibus hujusmodi non teneantur observare apices juris. Ita Miranda, tom. II. *Manuat. prælat.* quæst. 23, art. 3; Sylvester, §. *Electio*, 2, n. 4; Antonius a Spiritu sancto in *Directorio Regularium*, part. III, tract. V, disp. 1, et 2, et alii. Ratio est: quia

tales prælati sunt vere pastores: simulque decretum concilii Tridentini non derogavit Decretali, *Quia propter*; neque eam annullavit, quamvis adjecerit obligationem nunquam publicandi nomina eligentium, prout notat Miranda, cit. art. 3, circa finem. Huc faciunt ea, quæ in simili supra, cit. n. 111, dicta sunt de electionibus prælatorum principalium in Ecclesiis collegiatis.

338. *Secluso tamen speciali privilegio, vel consuetudine legitime præscripta.* — Limita tamen hanc, et præcedentem conclusionem, nisi privilegium apostolicum habetur de alia forma electionis tenenda, aut una vel pluribus scrutinii conditionibus omittendis; ut notat Layman in d. c. *Quia propter*, n. 12, h. t. et alii. Atque loquendo speciatim de Ordine Fratrum Minorum, huc faciunt dicta superius § n. 78. Ulterius id limita, nisi per consuetudinem legitime præscriptam aliud alicubi fuerit introductum; ut cap. ult. de *Consuetud.* cum simili us.

339. *Regulares in electionibus non teneantur observare apices juris.* — Additur nolanter in conclusione, « *Quamvis regulares in electionibus non teneantur observare apices juris.* » Id siquidem competit eisdem ex concessione Summorum Pontificum, de qua testatur Antonius a Spiritu sancto, loc. cit. n. 33, addens, post Portel, sufficere ut servent ea, quæ sunt de essentia electionis. Et merito: tum quia forma scrutinii, in Decretali *Quia propter* præscripta, est difficilis observatu ob quamplura substantialia, quæ insunt eidem: adeo ut et boni juristæ practicam ignorant in ea deficiant; prout loquitur Glossa in c. *Cum expediat*, 29, vers. *Inquisitis*, h. t. in 6; tum quia in regularium negotiis « est procedendum de plano, et absque judiciorum strepitu, cum talibus non deceat Dei servos involvi; » prout in simili dicitur c. *Olim*, 26, de *Accusationib.*

340. *Ad alias regularium electiones sufficit consensus majoris partis collegialiter præstitus. Ac possunt eæ fieri etiam per globulos.* — Resp. III. In aliis regularium electionibus, quæ tales prælatuæ non sunt, sufficit, si fiant collegialiter, quomodocumque dein exprimatur consensus majoris partis electorum, nec sunt necessaria verba, aut scriptura. Ita Miranda, cit. art. 3, concl. 2; Layman, d. c. *Quia propter*, n. 11; Sylvester, vers. *Electio*, 2, n. 4, et alii communiter, post Glossam in c. *Sicut*, §. *Formam*, h. t. in 6. Sic electiones quorundam superiorum regularium fiunt

per ballottationes, sive globulos, cujus exemplum habetur seq. conclus. Unde

341. *Quomodo fiant electiones superiorum in Ordine Fratrum Minorum.* — Resp. IV. in Ordine Fratrum Minorum electio generalium, vel provincialium ministrorum, una cum custode ac diffinitoribus, fit a toto capitulo per schedulas secretas: electio vero guardianorum per ballottationes, seu globulos, præside capituli pro singulis conventibus quempiam proponente, qui et in paritate votorum habet votum decisivum. Ita statuta generalia, et amplius probat Bernard. Sannig, h. t. cap. VII, n. 2, et Angelus Lantusca in *Theatro Regularium*, vers. *Electio*, n. 5, et 6.

342. *Ac præsertim commissariorum provincialium, prominstorum, et custodum extra capitulum eligendorum?* — Et licet hic ibidem addat extra capitulum electiones prominstorum, et custodum ad capitula generalia mittendorum, pariter fieri debere per suffragia secreta, et ballottationes; nihilominus sciendum, quod idem Lantusca, vers. *Commissarius ad comitia generalia mittendus*, n. 1, referat quamdam resolutionem sacre Congregationis S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium propositæ, quæ a ministro provinciali Ordinis Minorum Observantium Reformatorum provinciæ Romanæ humillime consulta, censuit, ad electionem commissariorum pro gubernio provinciæ remanentium, vel pergentium ad capitulum generale (sive prominstorum) non licere procedere, nisi per schedulas, et vota secreta, ac per pluralitatem votorum, nemine proponente: et ita semper servari mandavit in omnibus provinciis præfati Ordinis Reformatorum, die 27 januarii, 1645. Unde prior illa ejusdem Lantuscæ doctrina, vel dumtaxat apud Patres de Observantia, vel in solis custodibus locum habet.

343. *Cur concilium Tridentinum præceperit regularibus, facere electiones per vota secreta?* — Queritur III. Cur, et sub qua obligatione, concilium Tridentinum præceperit regularibus, ut facerent electiones per vota secreta, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur? Resp. I. Id factum, ut hoc modo præscindantur occasiones inimicitiarum inter religiosos confratres, qui perpetuo simul vivere tenentur.

344. *Et sub quibus pœnis?* — Resp. II. Id præcipitur sub pœna nullitatis electionis, et etiam inhabilitatis ad omnia officia Ordinis ex parte ejus, qui hoc modo se in provinciam, abbatem, aut priorem creari per-

miserit. Patet hoc ex textu concilii Trident. sess. 25, cap. VI. de *Regularibus*, ibi: « Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit; et is, qui ad hunc effectum se in provinciam, abbatem, aut priorem creari permiserit, deinde ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis sit. »

345. *Electio talis est nulla, si vel unus electorum votum suum publice permittente capitulo.* — Resp. III. Hæc constitutio Tridentini tam stricte obligat, ut electio sit nulla, si vel unus electorum votum suum publicaret permittente capitulo. Ita Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. IV, n. 183 et 184; Barbosa, lib. I *Juris Eccles. univ.* cap. XIX, num. 205; Lantusca, loc. cit. n. 8, asserens ita fuisse decisum a Rota in una Treverensi, 20 novemb. 1624, coram illustriss. DD. Coccino, et alii. Ratio est, quia concilium Tridentinum continet decretum irritans, cui contravenitur per publicationem unius voti consentiente capitulo factam. Unde si quis de facto attentaret votum suum dare palam seu publice, is a capitulo non debet permitti, sed moneri, ut secreta det votum; alias enim electio foret nulla. Garcias, loc. cit. n. 195. Nam mens concilii fuit statuere, quod capitula regularium facerent electiones secretas, in hoc sensu, ut non permitterent aliquid fieri, ex quo publicari possent nomina eligentium. Emmanuel Rodericus, tom. II. *Quæst. regul.* quæst. 52, art. 9, et Barbosa cit. n. 205.

346. *Secus, si id fiat inscio, vel non consentiente capitulo.* — Secus foret, si quis electorum, sive per malitiam, sive per errorem, suum votum alteri ostenderet, inscio tamen, et non consentiente capitulo: quia per hoc non redderetur irrita electio. Navarrus, consil. 9, de *Election.*; Rodericus, cit. quæst. 52, art. 9; Pirhing h. t. n. 397; Barbosa, ubi supra n. 209, citans alios; tum quia defectus clandestinus unius de capitulo, non debet nocere toti capitulo ipsum ignoranti, arg. cap. ult. de *Procuratorib.*; tum quia alioquin in potestate cujuslibet electoris esset irritare electionem atque electum suo jure privare, dicendo postea se prius suum votum pro palasse alteri, et hoc probando; tum tandem, quia revera in tali casu capitulum non permittit aliquid fieri, quo votum alicujus publicetur, cum factum illud ignoraverit.

347. *Forma eligendi per compromissum, et quasi inspirationem, an sit sublata a concilio Tridentino? Ponitur sententia negativa.* —

Quæritur IV. An forma eligendi per compromissum, et quasi inspirationem, sit sublata quoad regulares virtute citati decreti Tridentini? Negativam sententiam tenet Rodericus, tom. II. *Quæst. regular.* quæst. 92, art. 9; Miranda, cit. tom. II. *Manual. prælat.*, quæst. 23, art. 3, in fine; Azorius, part. II, lib. VI, cap. XIV; Tamburinus, tom. I, *de Jure abbatum*, disp. 5, quæst. 5, n. 9; Piring, h. t. n. 397, pluresque alii, qui volunt, decretum Tridentinum habere locum in electionibus regularium per scrutinium, quæ inter ipsos est forma usitatio; non autem in iis, quæ fiunt per compromissum, utpote in quo suffragia palam dari possunt. Id ipsum confirmant ex eo: quia nulla adest clausula revocatoria istarum formarum eligendi in textu concilii Tridentini: et quia etiam ab ipsis compromissariis possunt dari vota secreta.

348. *Contraria sententia, ejusque fundamenta afferuntur.* — Oppositum tamen, videlicet duas formas esse sublatas per concilium Tridentinum quoad abbates temporales, aliosque regulares in eodem expressos, tenet, atque a sacra Congregatione decisum refert Nicol. Garcias, part. V, *de Beneficiis*, cap. IV, n. 204; Fagnanus, c. *Quia propter*, n. 30, h. t. pariter referens quamdam sacre Congregationis declarationem; et Passerinus cap. I, *de Elect.* num. 56 et 59, plures alias dictæ sacre Congregationis declarationes, et quamplures doctores allegans. Et dictis declarationibus esse standum, si in debita forma afferantur, patet ex dictis in præmio. § 8, n. 130, et seqq. Accedit ratio: quia concilium Trident. loc. cit. non solum præcipit electiones dictorum superiorum regularium esse faciendas per vota secreta, sed etiam omnem electionem aliter factam decernit nullam; atque electiones, quæ fiunt per compromissum, vel quasi inspirationem possunt ac solent fieri per voces publicas, non vero per vota secreta; ergo sunt nullæ. Et hac de causa electionem per quasi inspirationem non habere locum in electionibus prælatorum regularium, novissime tenet Sannig, h. t. cap. IV, n. 31.

349. *In electionibus episcoporum, et abbatum perpetuorum, potest indubitanter procedi per viam compromissi.* — Cæterum, quia in dicto decreto concilii nulla fit mentio episcoporum, vel abbatum perpetuorum: dubitari nequit, quin in horum electione locum habeat electio per viam compromissi, et quasi inspirationis, juxta c. *Quia propter*, 42, h. t.

350. *Idem videtur dicendum de electionibus cæterorum prælatorum regularium, dummodo in compromisso procedatur per vota secreta.* — Quod si etiam in compromisso procedatur per vota secreta, satisfieri intentioni concilii Tridentini, utpote statuentis dumtaxat, quod electio cæterorum prælatorum regularium fiat per vota secreta, ac proinde ejusmodi electionem fore validam; haud immerito teneri potest cum auctoribus, pro priori sententia allegatis: ac favet declaratio cardinalium a Fagnano, loc. cit. allegata, quæ, proposito a Carthusianis dubio, « An in electione superiorum possit procedi, necdum per viam scrutinii, sed etiam inspirationis, vel compromissi? » censuit, electionem horum prælatorum regularium debere fieri tantum per vota secreta, ut se habent verba propria concilii d. c. 6.

351. *In praxi qui attendendum?* — In praxi nihilominus, ob supra dictam doctorum discrepantiam, optimum erit, ut attendatur specialis cujuslibet sacre religionis constitutio, aut antiqua laudabilisque consuetudo ejusdem.

## TITULUS VII.

### De Translatione Episcopi.

1. *Ratio ordinis, seu continuationis rubricarum.* — Visis duobus modis perveniendi ad prælaturam ecclesiasticam, postulatione videlicet, et electione, sequitur tertius, qui fit mediante translatione, utpote per quam pariter Ecclesiæ, suo pastore viduatæ, providetur, dum episcopus, vel alius prælatus exemptus, ab una Ecclesia, quam obtinet, auctoritate Summi Pontificis transfertur, seu mutatur ad aliam. Et de hac loquitur præsens titulus, præcipue autem de translatione episcopi, ut patet ex rubrica. Hinc sit

#### § I

DISCUTIUNTUR GENERALIA CIRCA TRANSLATIONEM EPISCOPI.

2. *Translatio, quid?* — Quæritur I. Quid sit, et a quo fieri possit translatio episcopi Resp. I. *Translatio*, quantum ad propositum, est alicujus personæ, seu episcopi, de una in aliam Ecclesiam canonica mutatio. Ita

Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 1, atque desumitur ex can. *Mutationes*, et seqq. 7, q. 1, ubi translationes episcoporum appellantur *mutationes*; nec ob propriæ voluntatis præsumptionem sed solum ex causa necessitatis, et utilitatis fieri posse perhibentur.

3. *Translatio episcoporum sola auctoritate Papæ fit. Ea connumeratur inter majores Ecclesiæ causas.* — Resp. II. *Translatio episcoporum sola auctoritate Romani Pontificis fieri potest.* Ita habetur expressum in can. *Sicut alterius*, 7, q. 1, et cap. I et II, h. t. « Nam majores Ecclesiæ causæ ad Sedem Apostolicam referendæ sunt; » prout notatur cit. cap. I; atqui inter majores Ecclesiæ causas merito connumeratur translatio episcoporum. Unde Glossa ibid. et rursus c. *Quod translationem, de Offic. legat.*, omnes majores Ecclesiæ causas, et Papæ specialiter reservatas, paucis enumerat, ponendo sequentes versiculos:

Restituit Papa solus, deponit et ipse.  
Dividit, ac unit, eximit; atque probat.  
Articulos solvit, syndumque facit generalem.  
Transfert, et mutat: appellat nullus ab ipso.

4. *Episcopus propria auctoritate de sua Ecclesia transiens ad aliam, carebit utraque.* — Resp. III. *Episcopus propria auctoritate de sua Ecclesia se transferens ad aliam, carebit utraque.* Ita habetur in c. *Quanto*, 3, h. t. et can. *Si quis episcopus*, 7, q. 1. Et merito: « Ut sic nec illis præsideat, quos per superbiam sprevit; nec illis, quos per avaritiam concupivit, » prout loquitur Pontifex in citatis locis. Accedit alia ratio: quia vinculum spiritualis matrimonii, quod episcopus cum priori Ecclesia contraxit, privata auctoritate dissolvi nequit, c. *Inter corporalia*, h. t.

5. *Non quidem ipso jure, sed per sententiam.* — Verumtamen Abbas, cit. c. *Quanto*, n. 13, post Joan. Andreæ, recte notat, quod episcopus ad secundam Ecclesiam propria auctoritate se conferens, non sit privatus prima Ecclesia ipso jure, sed privandus dumtaxat per sententiam; adeoque clerici prioris Ecclesiæ teneantur ipsi præstare obedientiam, donec ea privetur per sententiam, arg. can. *Nonne*, 8, q. 4.

6. *Sive episcopus sit consecratus, sive electus et confirmatus dumtaxat.* — Et hactenus dicta procedunt non solum de episcopo consecrato, sed etiam de electo et confirmato, licet nondum sit consecratus. Sicut enim episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis

suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic et electus confirmatus: eo quod post electionem et confirmationem canonicam, spirituale conjugium inter personam electi, atque Ecclesiam, jam sit contractum, et ratum; prout habetur, d. c. *Inter corporalia*, § *Sicut enim*, 2, h. t. et cap. ult. eod.

7. *Translatio episcopi regulariter fit a minori ad majorem ecclesiam. In dignitatibus ecclesiasticis non est licitum descendere.* — Quæritur II. Quomodo quibusve de causis fiat translatio episcopi? Resp. I. *Translatio episcopi regulariter fit a minore ad majorem, seu digniorem ecclesiam.* Ita desumitur ex cap. I, h. t. ubi Papa tanquam valde absurdum infert, quod quis parvifacere majorem, et episcopare archiepiscopum præsumperit, illis verbis: « Miramur, quod — novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, et magnum quodammodo minorasti, episcopare archiepiscopum, imo potius dearchiepiscopare præsumes. » Hactenus Pontifex. Unde in dignitatibus ecclesiasticis non est licitum descendere; id est, de majori ad minorem transire, arg. can. *Legimus*, dist. 93, ibi: « Qui provehitur, de minore ad majus provehitur; » et notat Fagnanus c. *Cum ex illo*, n. 9, h. t.

8. *Hoc procedit regulariter: fallit ob causas peculiare.* — Additur notanter, « regulariter fit a minore ad majorem. » Nam quando fit translatio episcopi ex peculiari causa eam justificante, v. g. ob aeris insalubritatem, vel ob metum hostium talem locum occupantium; nihil impedit, episcopum transferri ab una ad aliam episcopalem Ecclesiam, quamvis hæc non sit major altera, ut can. *Pastoralis*, 7, q. 1, et c. *Ad supplicationem*, 9, *de Renuntiat.* ubi archiepiscopus, qui absque mortis periculo in sua Ecclesia morari non poterat, ex concessione Papæ ita descendisse legitur.

9. *Causæ transferendi episcopos, generatim sunt duæ.* — Resp. II. *Causæ transferendi episcopos generatim sunt duæ, videlicet necessitas, et utilitas Ecclesiæ.* Ita habetur in can. *Mutationes*, et can. *Scias, frater*, 7, q. 1, ubi inter alia sic legitur: « Mutationes episcoporum scitote communi utilitate, atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate, etc. Alia enim est causa utilitatis, et necessitatis; alia avaritiæ, ac præsumptionis, aut propriæ voluntatis. » Itaque imprimis

10. *Videlicet causa utilitatis.* — Utilitatis causa fit translatio, si ex ea major fructus